



mere pronunciant. At sic *Flauiani* nomen simul delendum est; qui eo anno Praefecturam Praetorianam gessit, vt accurate demonstrat Ant. Pagius *Crit. Baron. ad A. C. 390.* cuius integram de hac re disputationem Ritterus Gothofredi Commentario subiunxit. Porro ea Illyrici pars, cui Italia iuncta fuit, ad Occidentale imperium pertinebat, et primum Gratiano, mox Valentiniano parebat. Falso enim ab anno demum 387. Praefectos Praetorio Illyrici et Italiae a Gothofredo referri, cum iam antea pluribus annis constet vnum eundemque Praefectum Praetorio Italiae, Illyrici et Africae fuisse, Pagius recte monet. Tum, quantum ad locum tempusque adtinet, vbi et quando haec constitutio promulgata fuit, ita pressi fuerunt Baronius atque Gothofredus, vt alios plane consules substituere cogentur. Data enim lex *Veronae* dicitur *XV. Kal. Sept. Antonio et Syagrio coff.* adeoque A. C. 382. Atqui hoc anno Theodosium Constantinopoli perpetuo commoratum esse, omnes fere huius anni constitutiones testantur. Thessalonicensium autem strages octo demum annis post a Theodosio imperata fuit. Neque adeo dies conuenit. Nam Theodosii lex, referente Theodoreto, circa finem mensis Decembris data esse videtur, nec *Veronae*, sed potius *Mediolani*, vbi Theodosius, quemadmodum e constitutionibus tum emissis patet, ad mensẽ fere Augustum constitit. Ex sententia igitur Baronii atque Gothofredi cum et inscriptionem et subscriptionem plane depravatam

C

vatam